

Præfatio Autoris ad Lectorem.

Opinaberis, Lector benevole, nihil hæc in opellâ contineri, quod non in disputationibus ante sexennium habitis, & sub titulo *Fundamenta Medicina ad mentem Neotericorum delineata* in compendium redactis, jam dum publici juris factum sit. Verum enim verò nullus dubito, quin contrarium statim vel in prima pagina deprehensus sis, modo eas haud gravatim conferre velis. Nam in Fundamentis illis præter innumera sphalmata & quosdam lapsus in doctrinabilibus plura inconditâ ferie & quasi tumultuariò sunt coacervata & connexa, ut præter locos quosdam communes res cursim & breviter attingentes vix habeant, ex quo Tyro lucem aliquam scenerari possit. Ea propter nunquam digna judicavi, quædæmodo in lucem prodirent. Sed cum noster Typographus alteram editionem instanter urgeret, eamque in catalogo librorum proditorum promississet, mihi que significaret, disputationes illas jam in Belgio recusas esse mutavi quidem consilium, & illarum loco quædam per discursum juxta seriem librorum & capitum Inst. Cl. Moebij ex cathedra recensui, quæ à studioso volubili calamo ex ore meo excepta tandem tradidi typographo, ut meis sub oculis ea imprimeret. Verum cum plures per septimanas in aula hærerem, ille moræ pertaxus manum operi solus admovit, atque duos priores libros me absente typis mandavit, quos cum redux reviderem, tot fere sphalmata indignabundus deprehendi quod lineas. Sed cum opus jam ceptum esset, vel in vitis reliquos excudi permisi, atque nunc errorum catalogum hic exhibeo, obnixè rogans, ut pro Tua humanitate & hos & alios circa distinctionem præsertim & orthographiam nec non paginarum numerum corrigere velis. Interim facielongè aliâ hæc Institutiones in lucem prodeunt, quas Institutiones Medicinæ Rationalis vocavi, quod ex principiis rationi consentaneis sint deductæ, atque morborum & remediorum explicationes per causas rationales, & intelligibiles in scenam introducant. Quamvis enim Recentiorum Philosophia præsertim quoad primam partem sive metaphysicam, nonnullis exosa sit, qui nondum vident, causam Dei si alibi profectò hæc strenuè agi, neque unquam Christianum existisse philosophum, qui pro Dei existentia demonstranda plus operæ insumserit, quam ipse *Renasus de Christs*; nec ex ulla alia Philosophia atheos convinci posse. Hæc tamen aliaque obstacula Medicos nec remorantur, nec tangunt, cum nihil nobis negotii sit cum famosa illa dubitatione, quam adversarii illi anticartesiani in radice & formalitate unquam intellexerint, dubitant illi, qui in assentiendo vel dissentiendo paulo tardiores sunt, atque in judicando atque determinando suspensò incedunt gradu, ne videlicet in præjudiciorum abyssum præcipitati pedem unde referant nescientes dubitationis laqueis, quos evitare volebant, constructi teneantur. Sed quicquid horum sit, nos propterea nullis movemur autho-

Prefatio.

ritatibus, nec deterremur istis litibus de dubitatione, qui non dubia sed certa & vera
quærimus remedia; neque in valetudinis negotio fluctuare aut ambigere volumus,
ne timide nimis aut temere de humano corio lapsisse videamur. Ecquid Ægroti Anti-
Cartesiani interest? Si à Medico feliciter curetur, qui cum Cartesio persuasum ha-
bet, non dari formas substantiales, animam humanam esse rem cogitantem, omnia
phænomena per motum & figuram explicari posse, dari in homine præter operatio-
nes intellectuales etiam operationes automaticas nobis cum brutis communes; Cum
sint, qui pro valetudine conservanda sapius ad Judæos, infensissimos Christi serva-
toris nostri & omnium Christianorum hostes, confugiant, aut alios magos confu-
lant, imò illorum, quos omnes pro atheis habent, subinde implorent opem: non ob-
stante conscientia teneritudine, quæ tamen usque adeò convellitur, si audiant esse
Medicos, qui non amplius cum Aristotele credant dari ignem sub concavo lunæ,
qui statuunt, non dari accidentia physica realia, animam non chylificare nec san-
guificare, eam non esse totam in toto, sed uni parti corporis junctam esse magis im-
mediatè quam alii, mundum non esse ab æterno, & quæ ejusdem farinae alia apud
Aristotelicos pro evangeliiis habentur, nisi magistrum suum turpiter deserere
velint. Itaque omnes præsertim autem Medicos ego majorem in partem rogo, si
quæ in his Institutionibus forte reperiant, quæ vel non satis probata, vel nova appa-
rebunt, ne statim ad arma provocare, aut bellum mihi indicere, aut, quod pejus,
per alium tanquam Samsonis mandibulam asini me ex insidiis aggredi & indigno mo-
dò lacerare velint, qui hæc non docui, ut rixas quarerem, aut hostes in me concita-
rem, sed ut (Deum testor) veritatem indagarem atque valetudini conservandæ
vel restituendæ aliquam ferrem opem. Ubi enim erroris convictus, vel per literas ad
Dn. Dolæum vel ad me transmissas ea de re monitus fuerim, non solum manus sponte
dabo, sed in magnam quoque honoris & affectus ponam partem, quod sint qui me-
cum arduum hoc negotium in gratiam studiosorum & ægrotantium salutem promo-
vere velint. Sic fiet, ut tandem tales habituri simus Institutiones medicas, quæ nec
in superfluis luxurient, nec in necessariis deficient, de quibus hæctenus conquesti
sunt, quotquot Medicinæ limina salutârunt. Profectò si spem ex præsentis metiri li-
ceret, dicerem Tyrones hic reperturos viam, ad culmen scientiæ Medicæ perve-
niendum satis expeditam. Neque enim affectata brevitatis obstabit, cum præcepta fa-
cilè illustrari atque prolixius explicari possint, cum enim in finem plura cathedra &
privatæ informationi reservavi, ne compendii limites excederem, aut ipsi Professori
segerem ingenii plus tempore præscinderem. Formulas quod atinet, jejunas dico,
quod per me facilè licebit, cum Tyronibus pro exemplo saltem scriptæ sint, & cui
bono tot in una formula ingredientia? Me certè, quod citra jactantiam aut philavti-
am scribo, nunquam pudebit, has Medicinæ Rationalis Institutiones legere & re-
legere sapius; quamvis nunc veterani nomen promeritus sim, qui per annos plus
viginti praxin medicam exercui, & per quindecim ferè professionem sustinui. Vale
Lector Benevole, & sphalmata annotata corrige, nunquam immemor verborum

Hip-

•••••

Epistola gratulatoria.

Hippocratis L. de Arte: At verò verborum inhonestorum arte ad ea quæ ab aliis inventa sunt confundenda promptum esse, nihil quidem corrigendo: eorum verò qui aliquid sciunt, inventa apud ignaros calumniando, non sanè scientia votum aut opus esse videtur, sed proditio magis naturæ suæ, aut ignorantia artis, solis enim artis ignaris hoc ipsum factum venit, qui contentiosè quidem gestiunt ac conantur, nequaquam verò possunt molitiei sufficere, ad hoc ut aliorum opera, quæ quidem recta sunt, reprehendant.

Epistola gratulatoria.

Laboriosissimum Medicinæ studium esse, querela fuit inter tyrones non modo Artis hujus præstantissimæ longè lateque diffusa, sed apud exercitatos etiam & veteranos ferè quotidiana, & tamen pauci extiterunt, qui molestias illas alleviare & faciliorem ad divinam hanc scientiam monstrare noverint aditum. Non negamus quidem, magnum esse numerum Auctorum, qui ad erudiendos ignaros etiam ingentibus aliquando voluminibus inscriptas ediderint Institutiones, sed tantum abest, ut labores eorum imminuerint, & clara certa que formaverint principia, quin potius labores laboribus accumulârint, & obscurum reddiderint obscurius. Ea propter minimè est mirandum, quod ex Celsi effato Medicina aliorum sit orta, addo ego & exercitata, salute, aliorum interitu; cum enim per varia experimenta remediiorum vires adhuc fuerint indagandæ, nec corporum ægrotorum constitutiones satis essent manifestæ, sæpius contigit, ut per medentis ignorantiam ea exhibita sint medicamenta, quæ expulsiis aut absumptis salibus volatilibus succos antè fluidos incrasarunt, & hos & illos obstruxerunt canales & canaliculos, sicque motum circularem, quem veterum plerimi penitus ignorasse videntur, inhibuerunt, unde morbus in ipsam transit mortem. Stupendo deinde malum illum intuentes eventum, nec veram scientes causam, cui infortunium illud fuerit adscribendum, varias finxerunt facultates, cuius penè membro & visceri inhabitantes, quarum robore sanitas brevi fuerit sequuta, irritatione morbi vehementes excitati, aut debilitate vita succubuerit. In tenebris hisce simul magna illa coluerunt idola, Naturam & Crisin, quibus à vero Numine turpiter secedendo tantam tribuerunt intelligentiam, ut non sine panico sæpe terrore intentis quasi ocalis ad eas respexerint, quali prudentiâ bonum seligerent à malo, & hoc rejecto, illo retento, victores fierent morborum; vel à copia materiæ malignæ morbosæ devictæ & suppressæ hosti suo cederent, & vitæ filum permittere cogentur abrumpi. Quis non hinc facile perspiciat, à cæcis istis ductoribus seductos fuisse omnes eorundem sequaces, ne debite erudiri potuissent magistris ejusmodi usus rerum veritatis ignaris. Sed æterna Veritas mendacia non tolerans radiis suis quorundam mentes ita illuminavit, ut falsum à vero discernere valuerint, quo lumine discrimen illud maximum inter mentem & corpus fuit reiectum, cujus, tanquam machinæ artificiosissimæ, partium numerus, figura, magnitudo, situs & motus, absque ullâ animâ fictitiâ & inferioribus ejus potestatibus, secundum re-